



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

X. De circumstantia, vbi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

Dices, ipsamet voluntas exequutiva differt specie à voluntate non exequutiva propter diuersum valde modum tendendi, quem habet in suum obiectum: ad explicandam ergo differentiam voluntatis internae oportet explicare actum externum qui necessarius consequitur talem voluntatem exequutivam. Ita ferè indicare videtur Suarez *illo n. 2.*

456.

Sed hæc responsio non potest plenè satisfacere: quia illa voluntas exequutiva, quæcunque illa sit tota præcedit, prioritate saltem naturæ, actionem externam, quam causat: posset ergo tota secundum se explicari, non explicato opere externo. Probatur consequentia, quia in rigore loquendo, non repugnat, quod aliquis credens, se posse facere aliquam actionem externam, velit eam facere, & habeat vltimam voluntatem exequutivam: & tamen, quia ab aliquo alio tenetur, vel quia ligatus est, aut humore impeditus, non ponat actionem externam: ergo dicere, se habuisse vltimam voluntatem exequutivam, non est dicere, positam esse actionem externam. Vnde posset aliquis explicare totam malitiam voluntatis internæ, non dicendo aliquid de externa actione, sed potius positivè protestando, se nihil velle explicare de illa, an sit vel non sit posita.

457.

Aliter ergo, & fortasse facilius responderi posset ad difficultatem propositam, concedendo, actionem externam simul cum voluntate interna integrare vnum, & idem peccatum, in quo, licet non sit necesse explicare distinctè omnia, & singula subiecta malitiæ oportet tamen explicare subiecta, quæ differunt specie in modo participandi illam malitiam. Sicut ergo in vno peccato constante ex duabus malitiis partialibus specie diuersis, oportet utramque explicare: sic quando vnum peccatum constat ex duobus subiectis partialibus, quæ in modo participandi malitiam differunt specie, oportet utrumque subiectum explicare: alioquin non explicatur species illius peccati tota, quæ non sumitur solum ex malitia, sed etiam ex subiecti tali modo eam participantibus. Porro negari non potest, diuersum esse specie modum, quo actus externus participat malitiam ab eo, quo reperitur in actu interno, in quo reperitur immediatè, & formaliter; in externo autem solum mediatè, & denominatiuè. Si ergo solum explices actum internum; nondum explicasti peccatum illud, quatenus participat malitiam mediatè, & denominatiuè, ex qua parte est peccatum specie partiali diuersum à peccato interno, componens tamen cum eo vnam speciem integram peccati.

458.

Vnde ad exempla in obiectione proposita concedimus, non oportere in peccato explicare distinctè omnia, & singula subiecta malitiæ: nec singulas partes malitiæ, quando inter illa subiecta, aut illas partes non datur differentia specifica partialis, sicut datur in casu nostro. Possumus autem retorquere vltimum exemplum: nam qui habuit oscula, amplexus, & copulam, non satisfaciet confitendo amplexus, & oscula, licet hæc faciant idem peccatum cum copula; sed debet explicare copulam, quæ est pars consummatoria, & continens implicite illas alias; & ideo hac sola explicata, fit satis. Similiter ergo, qui habet actum internum, & externum; non satisfaciet confitendo internum; sed debet confiteri externum, quæ est pars vltima, & consummans, ac implicite connotans aliam partem, quare explicato solo actu externo, fit satis, & explicatur tota malitia.

459.

Obijcies vltimò, posse adhuc retorqueri contra nos argumentum, quo supra vsi sumus, quod, scilicet, si effectus sequutus post retractatam volunta-

tem non est peccatum, sequitur, quod frequenter confiteatur, vt peccata, quæ reuera non fuerunt peccata, quia fuerunt post retractatam voluntatem, hoc inquam argumentum potest contra nos fieri: quia actio externa tunc solum est peccatum, & materia confessionis, quando fit, perseverante libertate interna: sed frequenter contingit, vt quando exercetur actio externa, non perseveret actu voluntas interna formaliter libera: nam licet applicuerit se homo liberè ad aliquam actionem, v.g. ad legendum, ad ambulandum, ad loquendum, &c. postea tamen non semper habet aduertentiam sufficientem ad libertatem saltem plenam. Contingit ergo fieri, illam actionem externam non esse peccatum saltem mortale propter defectum libertatis actualis perseverantis: & tamen tota illa proponitur à penitente, vt materia Sacramenti absque ulla distinctione, ergo vel fatendum est, sufficere libertatem præteritam, vt denominetur tota peccatum; vel debet in confessione distingui, quæ pars fuerit, & quæ non fuerit peccatum.

Respondetur, penitentem non habere in nostra sententia obligationem explicandi effectus peccati: sed solum peccata interna, & externa: cui debito satisfacit, accusando se de actione externa, verbi gratia, per hoc enim non intendit dicere, fuisse peccatum, quoad omnes partes externas, quis enim hoc potest scire? Sed solum dicit, quod certum est, incepisse, scilicet, cum libertate actuali, vel aliquandiu eam habuisse: per quod explicatur, quantum sufficit illud peccatum, siue plures, siue pauciores partes habuerit actu liberas, & peccaminosas, omnes enim faciunt moraliter vnum peccatum, quod sufficit sub illa generalitate explicare.

Aduerto vltimò cum Patre Vasquez, regulariter expedire, quod effectus consequi dicantur, atque ideo non esse penitentes impediendos, sed relinquendos in hoc vsu: quia hoc modo explicatur melius malitia actus præcedentis, & intelligitur melius status penitentis, & an habeat obligationem aliquam restituendi, vel inuenerit censuram, aut casum reservatum: & quæ remedia ei oporteat applicare.

Restabat dicere, an sicut non est necesse dicere effectum consequutum; sic etiam non sit obligatio dicendi causam, sed si sufficiat dicere peccatum: verbi gratia, satis sit dicere omissionem Missæ, non dicendo causam, quæ ad hoc mouit, ludum, verbi gratia, vel studium. De hoc tamen dicemus infra *sect. 12.* agendo de circumstantia, *Chr.*

SECTIO X.

De circumstantia, Vbi?

Reliquas circumstantias, quæ supersunt, breuiter percurramus, quia faciliores sunt. Tertia ergo est *Vbi*, seu locus. Et quidem aliquando hæc non est circumstantia, sed ipsa tota substantia, & prima species peccati, quando extrahitur aliquis per iudicem ab Ecclesia contra loci religionem; quando iudex in Ecclesia actus iudiciales exercet, &c. Quæ peccata non habent aliam malitiam, nisi quatenus sunt contra loci reuerentiam, quæ violatur. Aliquando verò locus dat circumstantiam necessariam confitendam diuersam à specie peccati, quæ supponitur, vt quando in Ecclesia effunditur iniuste sanguis humanus, vel sit pollutio, aut copula illicita. Circa quam circumstantiam aliqua breuiter notanda sunt.

Primo ergo interuenit malitia ex hac circumstantia per voluntariam seminis effusionem, per pollutionem, quando notoria est, polluitur Ecclesia, & iniquum indiget reconciliatione, de quo diximus *dispositio 20. de Eucha*

de Eucharistia sect. 2. Dubium est autem primò, an quando Ecclesia non polluitur, quia peccatum est occultum, contrahatur nihilominus malitia Sacrillegij in confessione explicanda, siue sit peccatum pollutionis, siue copulæ illicitæ. Negant aliqui quorum sententiam probabilem dicit P. Vasquez tom. 1. in primam 2. disputat. 98. cap. 3. num. 6. & Basilius Pontius de matrim. lib. 10. cap. 10. n. 15. Communis tamen & verior sententia affirmat, quam cum aliis tenent Suarez tom. 1. de Religione lib. 3. c. 7. num. 4. Raphaël de la Torre tom. 2. de Religione quest. 99. art. 1. disput. 7. Thom. Sanchez tom. 3. de matrim. lib. 9. disput. 15. num. 11. Bonacina de matrim. quest. 4. punct. ultim. num. 7. qui alios referunt. Et probatur à posteriori, quia si ille actus postea fiat publicus, Ecclesia pollueretur; ergo à principio fuit sacrilegus, & contra Ecclesiæ prohibitionem: non enim incipit esse contra Ecclesiæ prohibitionem, quando publicatur.

Secundò dubitatur de costu coniugali, an, & quando habeat malitiam ratione loci: aliquando enim eam non contrahit, quando ex humana necessitate fit propter diuturnam mansionem coniugis in Ecclesia: de quo videri potest idem Sanchez ibidem num. 12. Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 12. num. 86. Suarez 3. tom. in 3. part. disput. 81. sect. 4. Hic enim casus non pertinet ad præsens propositum; quia ad illud peccatum, ut dixi, locus non concurrat, ut circumstantia, cum non supponat actum aliunde illicitum, sed dat primam, & substantialem speciem malitiæ.

Tertiò dubitatur, an tactus etiam, & aspectus, ac verba turpia ratione loci sacri, habeant specialem malitiam explicandam in confessione. Tres sunt sententiae. Prima dicit, eos omnes actus impudicos contrahere malitiam grauem Sacrillegij. Secunda negat in vniuersum de omnibus. Tertia concedit de aliquibus tactibus magis impudicis, & turpibus, v. g. inter pudenda: negat de aliis leuioribus tactibus. Auctores videri possunt apud Dianam tom. 1. tract. de circumst. aggravant. resolut. 25. & apud Fagundez lib. 4. de secundo præcepto Ecclesiæ cap. 4. qui non videtur sibi satis constans. Nam num. 29. in fine, reprehendit eos, qui dicunt, tactus etiam per partes pudendas, non contrahere malitiam Sacrillegij: quam tamen sententiam ipse postea num. 31. in fine, fateatur tandem esse probabiliorē: quam tener cum aliis Sanchez dicta disput. 15. num. 21. Et ego etiam cum quadam limitatione veriorē existimo: quia, ut bene obseruat Vasquez supra citatus, hæc accipiunt malitiam grauem Sacrillegij ex prohibitione Ecclesiæ, quæ cum non sit de tactibus, sed de copula, aut pollutione, per quas Ecclesia violatur, non est, unde habeant illam speciem Sacrillegij grauis: debet tamen hoc limitari, ut non procedat, quando ij actus fiunt cum periculo pollutionis, aut tãtus sunt tales ex se, ut videantur cum pollutione connexi: tunc enim prohibitio pollutionis comprehendere videtur ea, quæ ex se tale periculum mortale afferunt.

Hinc constat ad id, quod quartò solet dubitari, an omnia peccata in Ecclesia commissa contrahant specialem malitiam ratione loci sacri Ioan. Medin. Cod. de pœnit. tract. 2. quest. 9. affirmat, in quocumque peccato mortali, siue externo, siue interno eam circumstantiam esse necessariò explicandam. Alij tamen communiter id negant, quia nullum est fundamentum ad id asserendum. Unde distinguunt bene in eo, qui desiderat turpia intra Ecclesiam; nam si locus se habeat ex parte obiecti, ita ut desideret habere in Ecclesia copulam; tunc contrahit ratione Sacrillegij, & hoc siue ipse, quando id desiderat, sit intra, siue sit extra Ecclesiam. Si verò

locus non se habeat ex parte obiecti, sed ex parte subiecti, ita ut, dum est in Ecclesia desideret copulam extra Ecclesiam; tunc non contrahit malitiam Sacrillegij. Quando verò ipse erat intra Ecclesiam, & videns feminam, illam turpiter concupiscit, & non considerat ex parte obiecti, quod fiat copula intra, vel extra Ecclesiam: adhuc non contrahitur malitia Sacrillegij, ut notauit Azor. 3. tom. lib. 3. cap. 27. quest. 15. & prius notauerat Nauarrus in cap. consideret, pe pœnit. distinct. 5. in princ. n. 21. quia non fertur ad circumstantiam loci, quam in mente non habet.

Potest tamen dubitari quintò, an peccata in Ecclesia commissa, licet non contrahant malitiam grauem Sacrillegij necessariò explicandam in confessione; contrahant tamen aliquam malitiam maiorem ratione loci sacri. Respondetur, per se loquendo, & seclusa ignorantia, vel inaduertentia, videri, quod contrahant ex loco sacro aliquam irreuerentiam specialem: imò eam, licet leuis sit pertinere ad speciem sacrillegij; non enim apparet, cui virtuti opponatur, nisi religioni propter specialem reuerentiam, quæ debetur loco sacro. Nam sicut de persona sacra dici solet, quod nugæ in ore Sacerdotis aliquid Sacrillegij participare videntur; ita de iugis, aut verbis oriosis in Ecclesia probatis dici potest; & à fortiori de aliis peccatis grauioribus: indecens enim est, ut locus orationi, & cultui diuino deputatus conuertatur in locum peccandi, & offendendi eundem Deum.

Hinc infero, non esse vniuersaliter veram regulam illam, quod ea sola contrahant malitiam grauem Sacrillegij ratione loci, quæ specialiter prohibentur ab Ecclesia ob eius reuerentiam. Nam potest contingere, aliqua ita grauiter opponi reuerentiæ debitæ loco sacro, ut seclusa etiam Ecclesiæ prohibitione, contraheret malitiam grauem Sacrillegij: ut si aliquis publicè ibi copulam haberet cum meretrice; si equos, & iumenta induceret, ut in stabulum; si in ipso sacro Altari Idolis offerret sacrificia; hæc, & his similia, etiam seclusa Ecclesiæ prohibitione, afferunt grauissimam irreuerentiam in domum sacram. In quo sensu intelligi debent, qui docent, comedias lasciuas, negotiationes nimis profanas, nundinas, mercatum publicum, & similia non posse absque peccato mortali sacrillegij intra Ecclesiam fieri: de quo videri possunt Henriquez lib. 2. de pœnitent. cap. 6. num. 5. littera N. & Molina tom. 2. de iniuriis disputat. 344. qui affert exemplum Christi, qui Ioann. 2. funiculo eiecit ex templo eementes, & vendentes quorum fortasse negotiatio nimis profana erat, & tanto Domini zelo, ac feruore profliganda. Aliqui enim contractus priuati, & quoad pactum, non quoad exequutionem, si in templo fiant, non ideo damnandi sunt, ut culpa mortalis.

Sextò dubitatur de sanguinis effusione, quando contrahat malitiam Sacrillegij grauis ratione loci. Breuiter dicendum est, hominis occisionem in Ecclesia, vel percussione cum effusione sanguinis contrahere eiusmodi malitiam: hæc enim causant Ecclesiæ violationem, de quo dixi dicta disputat. 20. de Eucharistia sect. 2. Percussio autem grauis sine occisione, & sanguinis effusione, sicut non violat Ecclesiam, sic nec affert illam speciem grauem Sacrillegij, quod oportet obseruare contra Fagundez illo c. 4. num. 14. vbi dicit, percussione grauem, etiam sine effusione sanguinis afferre illam malitiam grauem Sacrillegij explicandam: pro quo citat Nauartum, Syluestrum, Henriquez, & alios, qui id minime dicunt; loquimur enim expressè

466.

467.

468.

De effusione sanguinis.

preſe de homicidio, aut vulnere cum ſanguinis effuſione. Et quidem cum non inueniatur Eccleſiæ prohibitio circa hoc, niſi in illis duobus caſibus, abſque fundamento extenditur ad illum tertium de percuſſione abſque effuſione ſanguinis.

469.
De furto in
Eccleſia.

Septimò dubitatur de furto, quando accipiat ex loco ſacro malitiam ſpecielem neceſſariò explicandam. Circa quod regula generalis traditur à Ioanne Papa Octauo in cap. *Quiſquis inuentus*, 17. *quaſt.* 4. quod Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro. Vnde plures colligunt non ſolùm eſſe ſacrilegium, quando quis furatur rem profanam, cuiuſcumque illa ſit, in loco ſacro; atque ideo furum, qui intra Eccleſiam foratur crumenam alicuius, debere explicare in confeſſione circumſtantiam illam loci ſacri. Ita Suar. *diſto lib. 3. de Relig. cap. 5. num. 7.* Valentia *tom. 3. diſputat. 6. quaſt. 15. pœnit. 1.* Valquez, Nauarrus, Nunnus, quos ſequitur, & reſert Bonacina in primo præcepto Decalogi, *diſput. 3. quaſt. 6. pœnit. unic. num. 17.* Layman. *lib. 4. tract. 10. cap. 7. num. 18.* Rebellus, Raphaël de la Torre, Reginaldus, Petrus de Ledefina, Menochius, quos reſert Diana 1. *tom. tractat. de circumſt. aggranant. reſol. 27.* quia legis verba generalia ſunt: ergo generaliter debent intelligi de omni furto factò in loco ſacro.

470.

Contraria ſententia probabilior videtur, quod ſcilicet fur in Eccleſia furatus crumenam diuitis, non debeat illam loci circumſtantiam explicare: quam tenent Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 5.* Leſſius *lib. 2. cap. 45. num. 14.* Coninch in præſenti. *diſp. 1. dub. 4. num. 22.* Sorus, Ioannes de la Cruz, Fagundez, & alij, quos reſert, & ſequitur Diana *illa reſolut. 27.* & probabilem dicunt Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 27.* & Raphaël de la Torre loco citato. Ratio autem eſt, quia res illæ nimis materialiter ſunt in loco ſacro, cum per accidens ibi inueniatur abſque vllò ordine ad talem locum, quare verba Ioannis Papæ dicentis, Sacrilegium poſſe committi, accipiendo non ſacrum de ſacro, debent intelligi in ſenſu formali, hoc eſt, quod res non ſacræ accipiantur non ſolùm in loco ſacro, ſed etiam de loco ſacro, illa autem pecunia accipitur quidem materialiter in loco ſacro, ſed non de loco ſacro, cum ad illum locum nullo modo pertineret. Poſſet verò contingere, vt non ſacrum accipiat de ſacro, verbi gratia, quando res aliqua poſita eſt in Eccleſia cuſtodia, & ſecuritatſ cauſa, vel commodata ſit Eccleſiæ: tunc enim iam aliquo modo pertinet ad Eccleſiam. Vnde non ſine fundamento Thomas Zerola in praxi pœnit. *cap. 12. quaſt. 17.* diſtinguit inter tæpera, & baldachinum, aut ſellam, quæ aliquis nobilis præmiſit ad Eccleſiam pro ſui commoditate, vel quæ ſaceriſta feciſſet ſibi commodari pro Eccleſiæ ornatu; & in ſecundo caſu dicit fore ſacrilegium eorum furtum, non verò in primo: quia tunc non ſit irreuerentia grauis ipſi Eccleſiæ, cui per accidens videtur eſſe, quod ex illo loco accipiantur. An verò ſit Sacrilegium res Eccleſiæ etiam non conſecrata furati ex loco non ſacro, non pertinet ad noſtrum propoſitum, cum illa malitia non proueniat tunc ratione loci.

471.

Circa hoc tamen dubitari poſſet octauò, an qui furatur in loco ſacro rem ſacram, debeat explicare in confeſſione vtramque circumſtantiam, & rei, & loci, an verò ſufficiat conſiteri furtum ſacrilegium, Fagundez *diſto lib. 4. cap. 5. num. 21. in fine*, dicit ſufficere, quod in prædicto caſu dicat: furatus ſum rem ſacram: quia vtramque illa circumſtantia ad eandem rationem formalem virtutis religionis

ſpectat. Contra hoc tamen videtur eſſe communis Theologorum doctrina, qui cum ſancto Thoma 2. 2. *quaſt. 99. artic. 3.* dicunt tres eſſe ſpecies, vel potius tria genera Sacrilegij, nempe circa perſonas ſacras, circa locum ſacrum, & circa reſ ſacras: quare peccatum Sacrilegij circa perſonam diſſert ad minus ſpecie à Sacrilegio circa locum: & ſimiliter Sacrilegium circa locum ſacrum diſſert ad minus ſpecie à Sacrilegio circa reſ ſacras. Cum ergo in prædicto caſu furtum ſit Sacrilegium contra locum ſacrum, & contra rem ſacram, ſatendum eſt contrahere malitiam ſpecie diuerſam ab ea, quæ ſolùm eſſet contra rem ſacram. Vnde merito Franciſco Alcozer in ſumma *cap. 21. dixit in eo caſu vtramque malitiam explicandam eſſe in confeſſione.*

Dubitari poſſet primò: an ratione ſanctitatis loci poſſit aliquando contrahere malitiam grauem Sacrilegij furtum rei non ſacræ. Corduba enim in ſumma *caſu 13.* dicit, quod peccaret mortaliter, qui dum conſiteretur, furaretur Confeſſario octauam partem vnius Iulij: Fagundez *diſt. lib. 4. cap. 4. num. 11.* relata hac opinione Cordubæ de furto modi- cæ pecuniæ, dicit rectè loqui Cordubam, ſi aſſumatur confeſſio tanquam medium ad ipſum furtum, quia tunc fur iniuriæ maximam inferre Sacramento: ſecus verò, ſi ex occaſione data huiusmodi furtum crumenæ fiat, vt animaduertit Rebellus 1. *part. lib. 3. cap. 1. num. 11.* & Sà verbo *Sacrilegium*, num. 12. ſed addit Fagundez, videri ſibi circumſtantiam notabiliter aggranantem neceſſariò conſtitendam, quia arguit inſimulatum propoſitum contritionis, & frequentem uſum, ac reincidentiam in furando.

Hæc tamen duo, quæ hic Actor dicit, difficile ſibi coherent, quod illud non ſit Sacrilegium, quando confeſſio non aſſumitur, vt medium ad furtum; & quod ſit incumſtantia notabiliter aggranans, & neceſſariò explicanda. Primò, quia ſi illa circumſtantia non tranſfert furtum rei modi- cæ, de quo ibi eſt ſermo, ad ſpeciem Sacrilegij: ergo non facit illud eſſe peccatum mortale, peto enim cuius ſpeciei? Non certa contra iuſtitiam, quia auferre obulum Sacerdoti diuiti non eſt graue damnum contra iuſtitiam. Secundò omnis circumſtantia notabiliter aggranans ſupponit peccatum ex ſe in ſua ſpecie mortale, alioquin illa non erit circumſtantia, ſed prima ſpecies peccati in ratione mortalis: in hoc autem caſu furtum rei modi- cæ ſecundum ſe non ſupponitur mortale; ergo malitia, quæ prouenit ex Sacramento confeſſionis, non eſt malitia circumſtantia, ſed eſt prima ſpecies illius peccati, vt mortale eſt. Tertio, ſi grauitas notabilis illius circumſtantia prouenit ex eo, quod arguat defectum propoſiti, & contritionis, vel defectus eſt talis, vt non detur diſpoſitio ſufficiens ad effectum Sacramenti, vel non. Si non eſt tantus defectus: ergo ex hoc capite circumſtantia non addit malitiam mortalem: nam defectus propoſiti ſolùm magis ſeruientis, & intenti non poſſet eſſe culpa mortalis. Si verò defectus ſit propoſiti ſubſtantialis neceſſarij ad valorem, vel effectum Sacramenti: hæc certe erit malitia contra Religionem, quia defectus diſpoſitionis neceſſariæ ad Sacramentum opponitur religioni, & reuerentiæ Sacramenti: ergo iam tranſfert ad ſpeciem ſacrilegij, quod tamen negatum fuerat. Quarta illud, quod addit, malitiam illam deſumi ex eo, quod arguat frequentem uſum ac reincidentiam in furando, in rigore non eſt verum: quia poſſet aliquis habere firmum propoſitum nunquam furandi ſummam grauem: in d poſſet

potest nunquam furtum graue commississe, & tamen allicefactum esse furtis leuibus, in quibus videtur non esse peccatum graue contra iustitiam: ergo neque ex hoc capite talis circumstantia est necessaria manifestanda, nisi transferat in speciem Sacilegij propter reuerentiam Sacramenti. Melius ergo, & consequentius negatur furtum illud rei modice accipere malitiam grauem in eo casu quo confessio non assumitur, vt medium ad furandum; quia sicut posset absque peccato mortali illo ipso tempore peccare leuiter iudicando temere confessarium, aut cum proposito detrahendi famae illius detractio veniali: & sicut posset eo ipso tempore per famulum, vel amicum furari aliquid leue à Confessario in alio loco; sic videtur posse absque mortali furari concomitantem per seipsum aliquid leue: parum enim differt furari per se, vel per alium.

Restabat dicere, quid intelligatur nomine loci sacri in ordine ad supradictam malitiam Sacilegij contrahendam. De hoc tamen dixi satis d. disp. 20. de Eucharistia, sect. 2. Illud sane videtur ferè certum non comprehendere nomine loci sacri in hac materia, claustra, & habitationem regularium: alioquin ipsi in omni peccato pollutionis deberent explicare circumstantiam loci sacri: quod cum Azorio 3. part. l. 3. c. 27. & Soto in 4. disp. 32. q. 1. art. 3. notauit bene Diana 2. tom. tract. 4. de Sacramentis, resol. 166. ubi addit contra Zetolam, & alios, quod si quis furatur in dictis locis, non debet explicare hanc circumstantiam loci sacri.

SECTIO XI.

De circumstantiis, quibus auxiliis, & circumstantia, Cur.

Quarta circumstantia est, quibus auxiliis: circa quam ferè nihil notandum occurrit. Ad eam enim spectant instrumenta, quibus peccatum factum est, vt si gladio, vel scilicet occidisti: quod regulariter non oportet explicare, nisi forte sit specialis prohibitio talis instrumenti, quæ obligat sub mortali: aut nisi media illa aliunde contingerent specialem malitiam contra aliam virtutem, vt si mediis Sacramentis, aut rebus sacris occidisti, aut illud peccatum fecisti; illa enim esset specialis malitia contra religionem: quod in vniuersum de quocumque medio afferente ex se aliam speciem malitiæ dicendum est.

Pertinet etiam ad hanc circumstantiam auxilium demonis, quod aliquis expresse, vel tacite quaerit, & procurat ad aliquem turpem finem consequendum. Pertinet denique auxilium, & interuentus aliorum hominum, quorum opera quæ sunt ad finem malum. Oportet enim explicare eam circumstantiam, quia inductio alterius ad peccatum, vel cooperari peccato illius, vt sepe diximus, est peccatum specie diuersum à peccato, quod fieret in eadem materia à teipso. Debes ergo explicare te vsum fuisse alterius opera ad tale peccatum exequendum quæ ad hoc induxisti, atque adeo debes explicare speciem peccati, ad quod illum induxisti. Si autem in istorum simul opera vsum es probabile fortasse erit, non esse necesse explicare distinctè numerum personarum, sed sufficere, si dicas te plurimum opera vsum esse, quos induxisti ad hoc, & hoc præstandum, iuxta ea quæ diximus in simili supra, sect. 3. n. 135. nisi forte peccata, quæ illi fecerunt, differant specie inter se, vel propter diuersam personarum conditionem, vel propter diuersitatem actionum, quas exercuerunt: vel nisi etiam propter temporis distantiam, aut interruptionem moralè inductiones illæ fuisset plura numero peccata, iuxta ea, quæ dicimus inferius agentes de peccatorum numero declarando, reliqua, quæ pertinent ad peccatum scandalum. Vide, quæ diximus, sect. 4. n. 155. & seqq.

Quinta circumstantia dicitur, Cur, in qua proprie loquendo, non est sermo de omnibus causis peccati, sed de causa finali, quæ mouet ex parte intellectus, & suggerit ratione, & motiui, quo respondere possumus interroganti cur hoc fecerimus? Et quidem non est du-

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

bium, quod debeat explicari finis, quando ipse de se habet malitiam, & medium nullum habet: vt si studens propter finem furandimi tunc malitia furti non erit circumstantia, cum non supponat actum aliunde malum; sed erit totum obiectum tribuens primam malitiam peccati. Quando verò medium aliunde est malum, vt si furaris propter mercedem, tunc etiam explicanda est malitia finis, cum sit specie diuersa à malitia furti. Tota difficultas est, an quando finis non est de se malus; medium autem est malum, debeat explicari etiam ipse finis, v.g. omittit Missam propter studium, an debeas explicare finem, nempe studium, an solam omissionem Missæ: idem est, quando sit peccatum commissionis, vt si furatus est propter studium, an sufficiat confiteri furtum, non explicato fine studendi.

Est sententia aliquorum, qui dicunt non sufficere explicare omissionem, sed explicandam causam omissionis, & idem de causa peccati commissionis. Hæc tamen sententia bipartita est: aliqui enim dicunt, studium, v.g. propter quod omitto sacrum, esse peccatum, non verò studium consequens: vt si, v.g. decerno non audire Missam, & postea, ne sum otiosus, volo studere; hoc studium non est peccatum. Alij verò etiam, in hoc casu dicunt studium esse peccatum, & in vniuersum omnem actionem ex se impossibilem cum actu præcepto, esse peccaminosam, si fiat tunc, quando præceptum debebat impleri.

Hoc ex professo pertinet ad materiam de peccatis: dico tamen breuiter. Primò licet studiū, propter quod omitto Missam, seu voluntas illa studendi sit mala, non tamen habet malitiam specie diuersam à malitia omissionis Missæ; atque ideo non oportet illam voluntatem explicare, sed sufficit dicere omissionem voluntariam Missæ. Hæc est communis, quam tenet Suar. in præf. disp. 2. §. 4. n. 1. Valent. Med. Azor. Vasq. Tan. Salas, Henr. quos affert Diana tom. 1. de circumst. ag. gran. resol. 23. & resol. 62. & alij passim.

Probatur primò, quia tota malitia studij provenit à malitiæ omissionis sacri: ergo sufficit explicare omissionem sacri. Dicunt esse ibi duplicem malitiam: alteram omissionis sacri contra virtutem Religionis, & præceptum audiendi Missam, alteram propriam ipsius studij contra virtutem studiositatis, quæ inclinat ad studium indebito modo susceptum, quale est illud, quod impedit auditionem Missæ debitam. Quod explicari potest exemplo liberalitatis, quæ inclinat ad debitos sumptus; quare indebiti sumptus, & excessus in illis aduersantur liberalitati, & habent malitiam contra illam. Similiter virtus temperantiæ inclinat ad sumendum alimentum debitum: excessus autem in cibo opponitur temperantiæ. Ergo similiter excessus in studio, quo relinquitur sacrum, opponitur virtuti studiositatis, quæ inclinat ad studium debito modo.

Sed contra hoc arguitur secundò, quia si in eo casu esset duplex illa malitia, sequitur, peccare grauius eum, qui omittit sacrum propter studium, vel vt inferuiat infirmo ministerio non necessario, quam illum, qui directe ex mera negligentia omittit sacrum: consequens videtur aperte falsum, cum ille finis studij vel ministerij infirmo, magis excuset aliquid quantum, quam accuset. Sequela verò probatur, quia ille alius peccaret solùm contra præceptum audiendi Missam: hic verò peccat contra illud præceptum, & rursus contra studio sitatem, vel misericordiam, & quidem peccato graui necessario explicando; ergo grauius peccaret hic, quam ille.

Vnde argui potest tertio quia si aliquis omittit sacrum debitum propter finem venialiter malum, v.g. propter ludum veniale, non contrahit duplicem malitiam grauem specie diuersam: est autem absurdum dicere, quod grauius peccet, omittens sacrum propter studium, quam propter ludum: ergo non contrahit duplicem malitiam grauem, qui omittit sacrum propter studium atque adeo sufficit explicare malitiam contra religionem.

H h

Confir

478.

An sit explicanda causa omissionis.

479.

480.

481.